



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris**

**Gallonio, Antonio**

**Mogvntiæ, 1602**

Corpora SS. Martyrum Papiæ, & Mauri militum Romanorum Augustini  
Cardinalis Cusani opera impetrat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43172**

nit; cui ille subridens; ego inquit,  
nolo is moriatur, donec cœptam fa-  
bricam absoluerit: tū seriò locutus,  
Dominum rogo, adiecit, pro istius  
salute, quem noui è morbo planè  
surrecturum, vt factum est; Ioan. Ba-  
ptista enim mirificè cõualuit; qui-  
pe febris nulla fuit, quæ morbum se-  
queretur, quamquam medici eam  
expectabant: dolor itidem nullus,  
nulloq; alio medicamēto, præter id,  
de quo ante dixit, vulneribus sub-  
uentū fuit, etsi ex medicis non de-  
erant, qui dicerēt ad ferramenta ve-  
niēdum esse: æger ta men pristinam  
contra omnium spem recuperauit  
sanitatem.

Iesu Christi anno Sixti V. Pap. anno Ætatis anno  
1590 5 75

*Corpora SS. Martyrum Papiæ, & Mauri  
militum Romanorum Augustini Cardi-  
nalis Cusani opera impetrat.*

**C**um Ecclesia nostra Sanctorum  
reliquijs nudata in eam, qua

Vitæ lib. 2.

X 3 nunc

nunc cernitur formam redacta esset, cogitare statim cœpit Augustinus Cusanus Cardinalis ( cui semper vni Philippo magis quàm ceteris obsequi cordi fuit) de ea tam ingenti thesauro locupletanda. ergo vbi id secum animo agit, omnem operam ponere statuit, vt Sanctorum Martyrum Papiæ, & Mauri sacra corpora à Diaconia Sancti Adriani, cuius eo tempore Titularis erat, ad Ecclesiam nostram auctoritate Apostolica transferrentur: ad id porro hac mouetur occasione. Decreuerat eius Ecclesiæ Aram maximam peruetustam instaurare, exornareque: id vbi fieri cœptum, reperiuntur fabricis altare demolientibus, nonnullorum insignium Martyrum corpora, nempe Flauie Domitillæ Virginis, Nerei, & Achillei eunuchorum; Marij, & Marthæ coniugum; ac demum Papiæ, & Mauri nobilium militum Romanorum, tribus distincta loculis, cum vetustis inscriptionibus.

Inte-

Interea temporis Augustinus Cardinalis quò pijs Philippi optatis, votisque respondeat, à Sixto V. impetrat, vt Sanctorum Martyrum Papiæ, & Mauri sacra corpora è Sãcti Adriani Diaconia in nostram Ecclesiam S. Mariæ & Beati Gregorij à Vallicella deferantur, quod eiusdem religioso officio, ac liberalitate curatum est.

Tertio itaque Idus Februarias, anno millesimo quingentesimo nonagesimo, resignato, apertoque loculo, quo horum Martyrum sacra corpora continebantur, extracta est concessu Pontificis exigua quædam Sanctorum ossium pars, quæ eo ipso in templo S. Adriani, quasi diurnæ mansionis, & hospitij testis, ac monumentum retineretur: clausus rursus, & obsignatus loculus, reconditusque in arcam ligneam serico bombycino coccineo contectam; is demum loculus eodem die magna populi frequetia è Sacrario elatus,

feretroque impositus super Altare maximum collocatur: Tum Germanico Fidei cæremoniarum præfecto annuente agmen, ac pompa cœpit ab ædibus S. Adriani ad fornicem Septimij procedere, inde ad Capitolium, tum ad plateam Alteriorum, ex qua per viam Pontificiã ad montem Iordanium processum, inde demum ad nostram Ecclesiam peruentum est.

Res fuit omninò vilenda; sacrae portabantur Reliquiæ auro fulgentes, patentes in feretro sub Umbella holoserica, pio sacerdotum nostræ Congregationis ministerio, Symphonicorũ choris suavissimè præcinētibus: antecedeabant præclarissima Beatorum Martyrum pignora, sacrorum hominum familiæ, Clerus, laicique quàm plurimi, qui nostram Ecclesiam, & Oratorium frequentant: singuli faces accēsas manibus gestabant, argentea Turibula bina deferebantur, funalia circum  
quàm-

quàm plurima: Heluetij item ad tumultum vitandum sacrum fere-  
trum cingebant.

Qui autem allata celebri pom-  
pa Sanctorum Martyrum corpora,  
pio, ac religioso obsequio excepe-  
rint ad infimos vsq; Ecclesiæ gradus  
obuiam prodeuntes, fuere S. R. E.  
Cardinales.

Alphonsus Episcopus Portuensis  
Card. Gesualdus.

Gabriel Episcopus Albanensis Card.  
Palæotus

Dominicus tit. S. Laurentij in Pa-  
ne, & Perna Card. Pinellus.

Hippolytus tit. S. Pancratij Card.  
Aldobrandinus, Maior Pœniten-  
tarius, hodie Catholicæ Eccle-  
siæ Episcopus Clementis Octau-  
i nomine assumpto.

Hieronimus tit. S. Petri ad Vincula  
Card. de Ruuere.

Scipio tit. S. Marię de Populo Card.  
Gonzaga.

Marianus Perbenedictus tit. SS.

Marcellini, & Petri Cardin. Camerin.

Federicus S. Agathæ Diaconus Card. Borromæus.

Augustinus S. Adriani Diaconus Card. Cusanus, qui Sanctorum Martyrû corpora iussu Sixti Pape V. conceptis verbis tradidit Beato Philippo Nerio Florétino Parenti nostro, nostræq; Congregationis Fundatori, auctoriq;.

Guido SS. Cosmæ, & Damiani Diaconus Card. Pepulus.

Hi omnes cum sacrum feretrum iam aræ lignæ medio in templo excitatę, aureoque pallio circumtectę impositum venerarentur, superuenit Nicolaus Sfondratus tit. S. Cecilix Card. Cremonensis: qui postea Gregorius Decimus quartus fuit.

Verùm elapso quatruiduo sacra Martyrum corpora, & capita è templo sublata, in sacrario fuere deposita, ibi tantisper mansura, dum & ipsa Basilica, & Ara maxima, quæ ma-

gnifi-

gnificis operibus extructa est, consecraretur, & dedicaretur; quæ tandem dedicatio superiore anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono per Alexandrum Medicen S. R. E. presbyterum Cardinalem Florentiæ Archiepiscopum solemniter, ac pompa celebrata est.

Hæc de postrema Sanctorum Martyrum translatione, quam diffusius, vberiusque Iacobus Butius Lateranensis Basilicæ Canonicus, atque Illustrissimi Domini Hieronymi Rusticucci Cardinalis Vicarij notarius, qui rebus omnibus interfuit, minutissima quæque persequendo literis mandauit.

*Religiosa virgo Philippo apparet.*

**I**ncidens quodam die ex sibi data occasione in sermonem de Catharina Pratenſi, ex ordine S. Dominici insignis sanctimonix femina, cuius res præclare gestas tribus libris profecutus est Seraphinus

*Eius rei  
quinque  
suratos testes habemus.*

Ra-